

ita ut insit. Ex quibus (4.) patescit definitionem h. m. datam convenire tantum *materiae ex qua*; non autem *materiae in qua & circa quam*, quamvis non negemus, unam & eandem *materiam* interdum omnia tria haec officia sustinere, atque sic simul esse *materiam ex qua, in qua & circa quam*. Respectu prioris tamen muneris *materia* hic potissimum consideratur. Verum utut definitio Aristotelis ita explicetur & corrigatur, non tamen adhuc videtur, ea omni *materiae ex qua* etiam convenire, quia non convenit *materiae transeunti*, idque elucescit inde, siquidem *materia ex qua est id, ex quo aliquid fit aut factum est, cum insit*. Jam vero *materia transiens non est id, ex quo aliquid fit, aut factum est, cum insit*. Hoc ipso enim quod *transiens* est, non manet illa in re producta, sed transit. *E. materia transiens non comprehenditur sub data definitione.*

XVII.

Antequam respondeatur ad hanc dubitationem praemittendum est, distinctionem illam, qua *materia in permanentem & transeuntem* dividitur, posse accipi dupliciter, vel (1.) de *materiae precise*, & in genere accepta, quo sensu si *materia transiens* dicitur, non dicitur illa *transiens ratione sui*, quasi ipsa transeat & non maneat in composito; hoc enim falsum est, Sed dicitur ea *transiens ratione formae & dispositionum*, quia scilicet non manet in re sub eadem forma ac iisdem dispositionibus. Vel (2.) accipitur distinctio illa de *materiae secunda* (prout *materia secunda* a nonnullis corpus naturale dicitur, an hoc recte fiat, jam non disputabimus) Et sic *materia secunda* ex *materia & forma* constat, diciturque tunc *permanens*, quando *formam ac essentiam suam retinet etiam in effectu producto*, quemadmodum v. gr. aurum manet aurum, etiam in poculo ex auro factum: *Transiens* autem *materia* eadem dicitur, quando *forma priori deposita aliam naturam atque essentiam in effectu jam producto assumit*, ut quando ex caseo generatur vermis, ipse caseus non inest vermi, cum forma casei & sic caseus formam priori depositam assumat formam vermis, atque ita respectu illius est *materia transiens*. Quocumque nunc modo distinctionem hanc accipias, utique manet semper *Materia* in re producta sive sub eadem sive sub diversa *forma*.

C 3

XVIII.